

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE
MEDICI AD REMPUBLICAM
RELATIONE,

QUAM,
AUCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS IN UNIVERSITATE LITERA-
RUM CAESAREA DORPATENSI,

UT
GRADUM, PRIVILEGIA ET IMMUNITATES
DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR,


LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR:
ANTONIUS OTTO LEOPOLDUS
DE SCHULTZ,

LIVONUS.

DORPATI,

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI.
A. R. S. cl. b. ccc. xlii.



VIRO. ILLUSTRISSIMO. EXCELLEN-
TISSIMO.

JACOBO. BASILIDI. BARONI.
DE. WYLIE.

Imprimatur,

ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit, antequam di-
stribuatur, septem exemplaria ei Collegio, cui censura li-
brorum mandata est, mittantur.

D. Martinus Ernestus Styx,
Censor.

MEDICINAE. ET. CHIRURGIAE. DOCTORI.

AUGUSTISSIMO. AC. POTENTISSIMO. RUTHENIARUM. IMPERATORIS.
A. CONSILII. STATUS. ACTUALIBUS. ET. ARCHIATRO. REI. BELLICO-
CASTRENSIS. INSPECTORI. SUPREMO. MINISTERII. BELLICI. CAESAREI,
MEDICAE. CLASSIS. ET. ACADEMIAE. MEDICO-CHIRURGICAE. DIRE-
CTORI, ACADEMIAE. SCIENTIARUM. PETROPOLITANAE. CONCLII.
MINISTERII. INSTITUTIONIS. PUBLICAE. CAESAREI. POLITIAE. COL-
LEGII. MEDICO-PHILANTHROPICI. SELECTI. SOCIETATUM. MOS-
COVIENSIS. VILNENSIS. EDIMBURGENSIS. COMPLURIUMQUE.

ALIARUM. SODALI.

ORDINUM. STAE. ANNAE. PRIMAE. CLASSIS. STI. VLA-
DIMIRII. GRANDIORIS. CRUCIS. ET. STI. LEOPOLDI.
SECUNDAE. LEGIONIS. HONORARIAE. GALLICAE. AQUILAE.
RUBRAE. BAVARIENSIS. VYRTEMBERGENSIS. ETC.
EQUITI.

D18384

VIRO.

TUM.

MIRIS. INGENII. ANIMIQUE. DOTIBUS.

TUM.

OMNIGENÆ. ERUDITIONIS. LAUDE.

CONSPICUO.

MERITIS.

IN. SANITATEM. PUBLICAM.

INPRIMIS.

IN. UNIVERSO. EXERCITU ROSSICO.

TUENDAM.

EGREGIE. COLLATIS.

QUAM. MAXIME. INSIGNI.

TENUES. HASCE. STUDIORUM. ACADEMICORUM.

PRIMITIAS.

OMNI. OFFICIO. AC. PIETATE.

ANIMOQUE. DEVOTISSIMO.

DAT.

DICAT.

CONSECRAT.

AUCTOR.

Præmium.

Vita mortalium insignis esse solet certis quibusdam momentis, unde, veluti a fato, sors eorum futura omnis, vitæque institutum omne pendet, quibus ad certam vergunt indolem, semper sibi immansuram, vivendi agendique moderatricem perpetuam. Tale momentum id sane dixeris, quo quis juvenis, stadio academico finito, civis reipublicæ partes suscipit. Idem et mihi contigit, quum operæ studio medico intentis animi viribus per quadriennium impensæ præmii, rigurosi examinis discrimine faustissimo Marte superato, reportarem, quo Amplissimo gravissimoque Medicorum Dorpatensium academicorum Ordini me ornare visum est. In contemplandâ præteritâ conditione in hanc præsentem versâ occupatus erat omnis meus animus. Ingenium sensim adolescens ac maturans, paullatim efformatum sensi; animi vires magis magisque vigentes;

pares denique aucupando, quae jam me obtinuisse gestio. Rebus futuris deinde inhiabat animus, cui quidem primo subvenit, quid intercessurum fuerit relationis inter me, medici partibus quandoque functurum et inter ciuitatem? qualis futurus sim reipublicae? qualem me esse oporteat? Futuris rebus denique inhiabat animus, cui quidem maxime subvenit, quid intercedat relationis inter me, medici partibus functurum et inter rempublicam? Quae sint, quae medico iungere, civitati liceat? Quae denique ipsa debeat medico? — Quibus menti oblatis, relatio, intercedens inter medicum et rem publicam visa mihi est idonea, de qua, in dissertatione inaugurali exhibenda, dissererem, maxime quum pro aetatis politioris ratione ac genio nondum reperiantur, quibus rem tanti momenti penitus pertractatam fontemque exantlatum dixeris. Utrum fauste processerit opera themati meo pertractando impensa, an minus, peritorum relinquendum arbitrio. —

I. Introductio.

§. I.

Curam rei medicae legislationis rem medicam spectantis, ad ciuium sanitatem tuendam, partem quam maxime necessariam dixeris, ut quae publicis et ministris et institutis medicis prospiciat et citra quam nec sanitatis publicae tuendae, nec morborum avertendorum cura consistere possit. ¹⁾ Instituta medica sunt, quae vel artem medicam tum addiscendam,

1) Vid. Ackermannii Erläuterung der wichtigsten Gesetze, welche auf die Medicinalverfassung Bezug haben, und vom ersten bis zum dreizehnten Jahrhundert gegeben worden sind: in Pylis Repertor. für die öffentliche und gerichtliche Arzneiwissenschaft. Tom. II. p. 167. T. III. p. 183.

tum fauste exercendam, vel ciues sanandos respiciunt. Publici ministri medici sunt, quos, tum ad tuendam publicam sanitatem, tum ad sanandos aegrotorum morbos, tum ad medicinam legislationis usibus adhibendam constituit ciuitas. Pro officiorum praestandorum diuersitate publici ministri medici diversi sint necesse est. ²⁾ Hinc et medicis, et chirurgis et pharmacopolis, et obstetricatoribus et obstetricibus et parobolanis opus est reipublicae, De illis, primo loco commemoratis potissimum hic agendum; de ceteris non nisi relationis ergo, inter ipsos et medicum intercedentis.

H. De medicis eorumque relationibus.

§. 2.

Ad sanandum quemcunque morbum opus est, ut medici partibus functurus, Hippocrate praecipiente, omnino naturam, hominis potis-

²⁾ Vid. A. Roeschlaubius über Medicin, ihr Verhältnis zur Chirurgie, nebst Materialien zu einem Entwurf der Polizey der Medicin. Francofurti ad Moen. 1802.

simum, apprime nôrit; omnis oeconomiae corporis, tum sani, tum aegrotantis sit peritissimus; mutationum ac vicissitudinum eius rationem et quasi legem perspiciat, tollendarum earum cognita habeat remedia; neque, in morbo denique percurando, certo tutoque tramiti insistere ignoret. Quae cum non sint (neque esse possint) nisi medici: morbos, quicumque fuerint, curandos solorum medicorum fidei committendos esse, liquet. ³⁾

§. 3.

Relatio inter medicos intercedens et Chirurgos ad nostram usque aetatem satis anceps relictâ.

Medicorum alii praxi medicae soli vacant; alii medicinam et Chirurgiam simul exercent, alii, et Chirurgi quidem, sunt, qui non curandis, nisi externis morbis sese addicant, curaione internâ, quantumvis ad externam adiuuandam necessariâ, omnino neglectâ; alii, qui, pari stu-

³⁾ Vid. Stollii Beantwortung der aufgegebenen Frage: Ist es nothwendig und ist es möglich, beide Theile der Heilkunst etc. zu vereinigen? Giessae 1800.

dio, utriusque curam agant; alii denique, qui, medicorum ad instar, morbo cuicumque percurando studeant. Quae, cum sexcentos pariant abusûs, a reipublicae, civibus aegrotantibus optime consulturae, consilio, quam maxime sunt aliena. — Quum praeterea operationes chirurgicae, obligacula adhibenda r. l. eximii ac diurni sint usûs atque exercitii, mirae dexteritatis et, ut ita dicam, ingenii ad mechanicum quodcunque opus prouisi atque exercitati, visûs acerrimi, firmissimae dextrae r. l. prudentis medici est, harum rerum curam iis committere, qui earum satis gnari sint iisque perficiendis idonei, ita tamen, ut prudens illorum futurus sit moderator. Quâ igitur de re constituendum fuerit, operationes chirurgicas, vulnura atque ulcera obliganda, ex medici moderamine ac praecipitis, solis chirurgis esse committenda. Eadem inter medicum et inter obstetrices, pharmacopolas et parabolanos relatio constituenda, non quidem, nisi auspice medico, eodemque moderatore, suis partibus functuros.

§. 4.

Quum itaque sit medici, publicorum rei me-

dicae ministrorum moderari negotia, vastissimum, quam late patet, medicinae campum cognitum habere debet ac perspectum, ut ubicunque opus fuerit, auxilii ab his ferendi sollertisque operae adhibendae iudex et dux prudens esse possit.

§. 5.

Salutaribus et fere ubique terrarum solemnibus illis institutis, tam ad informandos, quam examinandos medicinae studiosos, efficitur, ut exploratum habeat civitas, praxin medicam non nisi viris peritis esse commissam. Verum si quis tiro medicus in literarum universitate extraneâ quâcunque in medicinae studium incubuerit et Doctoris jura atque honores adeptus fuerit, ubi vel fere nullae de peritiâ ac dignitate medicorum futurorum leges latae, vel, sicubi fuerint, parum vigent, id quod ex testimoniis exhibendis et universitatis literarum extraneae cujusque famâ atque existimatione cognosci potest, medicus tiro vel ab academiae cujusdam domesticae ordine Medicorum, vel ubi non exstiterit, a concilio medicorum publice constituto quocunque alio

denuo erit examinandus. Examine egregie peracto medici partes ipsi demum concedendae.

§. 6.

Quibus praenotionibus generalioribus praemissis ad disquirendam relationem, intercedentem inter medicum et rempublicam transeundum.

Civium omnimodam salutem ac prosperitatem promouendam, tanquam finem primum respicit civitas. Quantumcunque valeant, pro virium suarum doctrinaeque modo, bonum publicum augere, civium est. Omnis doctrina tantum solummodo valet, quantum ad finem summum consequendum confert. Omnis eruditorum scrutatio, omnis cogitatio, omnis inuestigatio non expedit, nisi ad praxiam, in qua quidem hominum res omnis agitur. Relatio inter medicum et rempublicam obtinens pendet igitur tum ex genere atque indole scientiae, qua pollet medicus, tum ex reipublicae fine et necessitatibus. Quanto magis adaugescit ingeniorum morumque in civitate cultus, tanto magis multiplicatur necessitatum varietas. Hinc relationem inter medicum et rempublicam interceden-

tem jamjam inquisiverunt complures tum nostrae, tum superiorum aetatum scriptores. 4) At eorum tamen praecepta ac placita vel eo valde sunt disparia, quod non medicina solum, ad instar disciplinarum omnium ab experientia repetundarum, in dies altius enolavit, sed etiam civitatum constitutiones, tum ingeniorum morumque culta, tum scientiis et artibus ulterius progressis, ad altiorem perfectionis gradum adscenderunt; quo factum est, ut pariter multiplicaretur necessitatum varietas.

4) *Ἱπποκράτης περὶ εὐσχημοσύνης*, in Hipp. et Galeni op. ed. Charter. Tom. II. p. 325. Hier. Brassavola de officiis medici. Ferrariae 1790. Roder a Castro medicus politicus, s. de officiis medico-practicis. Hamburgi 1650. D. Bohni dissertationes V de officiis medici. Lips. 1767. Idem de officio medici duplici, clinici nimirum ac forensis. Lips. 1704. — Fr. Hoffmanni Medicus politicus; in Supplem. I. et II. — Lectures on the duties and qualifications of a Physician, by John Gregory. Londini 1779. — D. J. Gregory Praelectiones etc. — Udenii medicinische Politik. Lips. 1783. Jo. Petr. Frankii Sermo academicus, de civis medici in republica conditione atque officiis; in ejusd. Opusculis med. Ueber die Zulässigkeit einer Auswahl unter klinischen Geschäften. Francof. ad Moen. 1794. C. Wendtius über das Verhältniß der Heilkunde zum Staate, in Scharfii Tabulario medico (Archiv etc.)

§. 7.

Maxime medicinam in superioris seculi imis decenniis Politia medicá, veluti disciplinâ fere omnino noua (utpote ex quâ ante non exstiterant, nisi solitariae quaedam disiectaeque partes) dixeris adauctam ⁵⁾ Quo ipso nouo medicinae quasi palmite, vigente, ciuitatum constitutiones nostrâ quidem aetate insigniter mirumque in modum emendatae. Institutis medicis, commodis atque adcommodatis, non singulorum ciuium solum, sed publicae etiam sanitati tuendae melius consultum. Fidem faciunt quaedam, quae memorare iuvat, exempla, ut: Sepulcra e

Tom. I. — J. B. Ehrhardti Theorie der Gesetze, welche sich auf das körperliche Wohlseyn der Bürger beziehen, und der Benutzung der Heilkunde zum Dienste der Gesetzgebung Tübingae 1800. Subtilissimus ac doctissimus libri postremo loco laudati auctor idemque medicus, eorum, qui thema nostrum pertractandum sumserunt, novissimus est, ex cuius placitis et cogitatis ad rem nostram facere quae visa sunt, mutuatos nos esse, grato animo liberrimeque profitemur.

5) Jo. Pet. Frankii merita hanc in disciplinam collata, egregia sane sunt ac perennia, primâ veluti manu ei explanandae aliisque de meliori commendandae impositâ.

templis oppidisque eliminata; cura liberalior in nosocomia, corotrophia et carceres impensa; seminaria medicorum informandorum causâ constituta; vaccinationis instituta ad variolarum contagionem arcendam, quorum beneficio milia hominum sospitari et in viuis seruari exploratum. ⁶⁾

Tanto progressu in cultu ingeniorum morumque facto, ciuitatum necessitates pariter non augeri non poterant, aliis praeterea magni momenti rebus singulis, (ut re militari etc.) multiplicatis. Ergo ad relationem intercedentem inter medicum et rempublicam rite determinandam, et hodiernarum reipublicae necessitatum, et maioris, quam quo olim patebat, artis medicae, scientiae loco numeratae ambitus ratio habenda.

§. 8.

Sunt, qui sibi persuadeant, omnem medi-

Insignem profecto dixeris illius Epistolam inuitatoriam ad eruditos de communiandis, quae ad politiam medicam spectant principum, ex legislatorum decretis.

6) Vid. Gregory Praelectiones etc. Ehrhardti Theorie der Gesetze etc. Conf. not. d)

cinam versari in curandis morbis: hinc relatio inter medicum et ciuitatem obtinens nimis arctis haud raro circumscripta limitibus! Medici profecto haud minus est, quotiescunque potuerit, praeuidere, praecauere, arcere morbos, quam quibus laborant, mederi. Et arcere quidem magis etiam! Malum enim imminens effugere praestat, quam praesens dubiis ac fallacibus armis debellare. Praeterea morborum praecavendorum, quam curandorum, nisus multo facilius, quum, Hippocrate iam monente, ex neglectis diaetae legibus nascantur plurimi morbi. Denique medicina, ex Pythagorae adserto, politicae et legislationis debet esse adiutrix et ministra. Et politicae quidem: quum variis causis coram iudice tractandis argumenta earumque componendarum rationes subministret. Legislationis autem ministram dixeris eo, quod sanitatis publicae tum conseruandae, tum restituendae largiatur consilia.

§. 9.

Qui cum medicinae sit ambitus, partium medici, dummodo scientiae suae satis gnarus sit, haec esse videntur, ut

1) non conseruet solum singulorum ciuium sanitatem eorumque morbis medeatur, sed publicam etiam sanitatem tueatur eique bene consulat; deinde

2) earundem relationum in sanitate tuenda et morbis arcendis ratione habitâ curet aegrotos; denique

3) in certis quibusdam causis in foro tractandis, de rebus dubiis atque abstrusis certiore faciat iudicem, causas istas dijudicaturum.

§. 10.

Quum igitur, sicuti docuimus, sit medici, non sanare solum morbos, sed etiam, et potissimum quidem, praecavere atque arcere; quum deinde ad illum finem perveniri nequeat, nisi sanitatis publicâ curâ habitâ; quum denique in variis causis in foro tractandis, publicâ auctoritate euocatus de rebus ancipitibus certiore facere debeat iudicem, sequitur, medicum non singulorum ciuium, sed reipublicae publicum esse ministrum. In quâ quidem conditione solâ partibus omnibus vere sibi incumbentibus fungendo par est medicus.

§. 11.

Praeterea medico omnino indignum dixeris, singulorum civium privatum esse ministrum, sicut jam a pluribus scriptoribus ⁷⁾ abunde observatum. Tum enim non nisi familiae adscriptus est, famulatio adnumerandus, vel cum opifice pari passu ambulat, seu si malis, abjectae conditionis ejus speciem prae se fert, de servitii mercede vel artis suae quaestu illiberaliter vivens; vel stipendio, seu salario annuo si non conductus fuerit, (quoties vel adierit seu visitaerit aegrotum, vel consilium dederit, vel morbo medicatus fuerit) laborum studiorumque singulorum singulari mercede fruens, foeneratori est simillimus, utpote qui valetudinis vitaeque hominum foenus faciat!

Tametsi inficias ire nolim, privatos, praxeos liberae medicos multos rei medicae exercendae humanitate ac liberalitate esse insignes, at non omne tamen, quam late patet quodque sibi incumbit, officium explent.

Multos medicos in reipublicae ministris haud

7) Vid. Gregory, Erhardus supr. laudati.

nominandos, sui solorum commodi esse studiosos, heu! inter omnes aequae constat, siue medicorum ordini adnumerandos, siue minus.

§. 12.

Medicinam tam theoreticam, quam practicam, siue scientiae, siue artis loco numeraveris, privatus iste usus quam maximo est impedimento, quo minus illa ulterius progrediatur et ad perfectionem adspiret. Namque medicus privatus solis morbis sanandis vacans, iis victitans vitamque tolerans, negligit et diaeteticam et politiam medicam. Sunt forte medici privati, qui utramque eo negligant, quod illarum disciplinarum studio seduloque in civitate usu morborum numerus valde minutus ipsorum victum minuit. Hinc inter disciplinas studii medici diaetetica, inde ab aetate Hippocratis, minimos fecit progressus, etiamsi venerabilis ille medicorum pater jam sui aevi medicis diaeteticam neglectam vitio dederit. A morbis si discesseris vel ex violentiae impetu, vel ex praedispositione naturae quadam insita et quasi haereditaria natis, non est dubium, quin ex praeceptis diaeteticis vel neglectis, vel male intellectis,

vel omnino erroneis cooriantur quam plurimi. Praeterea cum perpenderit, qualis remediorum diaeteticorum tantum valentium sit natura et indoles; quam innumera in morbis exortis impedimenta impugnanda; quam sumtuosa medicamenta adhibenda; quam anceps ac difficilis eorum in idiosyncrasiis quibusdam nonnunquam sit usus, et quam dubius methodi medendi euentus: diaeticam, ex ipso veterum medicorum arbitrio primariam ac palinariam medicinae partem esse, liquet. Eandem ob causam politia medica per multa secula omnino neglecta, de qua Jo. Petr. Frankius fere primus insigniter est meritus, disciplinae, seu scientiae loco ipsi vindicato. Plurimos quoque medicos soli praxi liberae vacantes ipsius et diaeteticas et politiae medicae imperitiores fuisse, facile intelligas. Nemo medicus philosophus (rationalem quem vulgo dicunt) iuerit inficias, diaetae conuenientis praescriptae, maxime in morbis chronicis curandis, majorem vim esse, quam medicamentorum usus, ad morbos tam arcendos, quam curandos, et, sanitatis cura convenienter adhibita, frequentiores quoscunque morbos, calamitates ca-

susque infestos arceri posse ac praecaveri. Nam politia medica non est, sicut Mezgero aliisque persuasum erat, mera diaetetica publica, seu reipublicae, quum non solum in sanitate publica tuenda, sed etiam, ex Hebenstreitii quidem sententia, ⁸⁾ in morbis, quorum vis late vagatur, tum amovendis ac deflectendis, tum percurandis versetur. Ergo et ipsi disciplinae et publicae sanitatis curae officit ista medici privati conditio,

§. 13.

Quodsi custoditam ac servatam velis sanitatem publicam, noxium ipsi imminens quodcumque removendum. At sunt proh dolor! ciuitates, in quibus hodieque satis mancam dixeris publicam sanitatis curam. Omnem mouisse lapidem ipsique reipublicae satisfacisse sibi videntur, collegiis medicis publice constitutis, unguentariis et circumforaneis praxi medicam interdictam; constitutionibus circa obstetrices et pharmacopolas publicatis; praeceptis quibusdam

8) Hebenstreitii Lehrsätze der medicinischen Polizeywissenschaft. Lips. 1791. p. 99.

circa ea, quae contagione pestilentiali urgente, jam facienda, jam fugienda sint, cum populo communicatis. Sed de sospitandis, ad subitanea mortis pericula qui fuerint adducti, parum cogitant. Quin potius in permultis oppidis omnino nulla eorum sospitandorum instituta. Hinc quotannis pereunt multa millia hominum, dum vitae conservandae media, quae adhiberi debent, negliguntur. Quin etiam in quibusdam ciuitatibus eo dementiae procedunt, ut omnino nefas habeatur criminique vertatur, hominem repertum sive ipsi morti, sive asphyxiae obnoxium mouere loco, vel redanimandi adhibere subsidia ante, quam lustratio forensis facta fuerit. Quam autem demum instituta, heu! haud raro mera asphyxia versa erat in ipsam mortem. Ad tam temerariam, ne dicam vesanam, constitutionem sancendam occasionem obtulisse videntur imperiti rudesque iudices et physici.

Publicae sanitatis tuendae praesidia a republica adhibenda omnino non sunt solae leges et constitutiones, sed instituta etiam publica ac liberalis benevolaeque institutionis praecepta. Ad quae autem condenda medici, ceu civitatis

ministri, consilio sane opus est, respiciente et regionis tuam externam, tuam internam, et civium variam conditionem, varium eorum victum vitaeque institutum. Sed quis, quaeso, sibi persuaserit, fieri posse, ut eo perveniant reipublicae tutores ac moderatores, ubi desint medici publici, lege adstricti civitati, urbe e contrario opulentam quaecunque medicis privatis praxeosque liberae scatente?

§. 14.

Haud minus medicorum forensium inopia respublica laborat, quorum inter hanc quidem et ipsos relatio singularis est et eximia. Politiae medicae rem agens curae rei medicae usibus consilia subministrat et quasi materias, seu res ad sanitatem publicam pertinentes suggerit. Forensi medico ad quaestiones forenses, vel ipsum hominem spectantes docte solideque respondendum, de rebus abstrusis edocendum et quodcumque ad rem dubiam explanandam, penitus perspiciendam ac dijudicandam fecerit, subministrandum. Rei abstrusioris in foro transactae explanatio a solius medici intelligentia atque eruditione petenda tanti est momenti, ut

vita et mors, fama salusque non unius solum hominis, sed totius nonnunquam familiae independent, digna sane, cujus investigandae summam curam suscipiat. Hinc sequitur, medicum privatum praxi liberae soli vacantem, reipublicae non addictum ministrum, neque hâc in re medico incumbens omne explere officium, neque occurrere reipublicae necessitati. Reipublicae, medicis, sibi addictis, legislationem adiuturis, destitutae administri in magnam difficultatem ipsiusque famae discrimen incurrunt, impediti, quo minus omnino fungi possent suis partibus. Reperiuntur quidem vel in parvis oppidis pagisque Chirurghi, rarius e contrario veronomini medici, vel, quos dicere solent, Physici. Chirurgus quantumvis peritissimus atque exercitatissimus, rarius veronomini Physicus, huiusque partibus explendis par est. Praxis medica magis pendet ex arte ac dexteritate; medicina forensis magis ex eruditione.⁹⁾ Medicinam igitur verâ et hominis et reipublicae neces-

9) Vidi Selle Einleitung in die Natur- und Arzneiwissenschaft. p. 304.

sitate nixam si volueris, non singulorum civium tantum sanitatis ac salutis, sed boni publici commo-
dique communis curam gerens, politiae et
legislationis debet esse adiutrix et ministra, reipublicae administrandae, legibus custodiendis, iustitiae iurique tuendis inservitura.¹⁰⁾

§. 15.

Post hominum memoriam persuasum erat legislatoribus, in quasdam causas ad jus tam criminale, quam civile pertinentes inquirere easque explicare, non esse, nisi medici, physici, seu rerum naturalium investigatoris partibus fungentis; eumque in finem medici forenses constituti, ad suum officium religiose explendum, iurjurando obstructi. Itaque legislationi, arctissime stringenti privatae et publicae salutis vincula eaque re vindicanti reipublicae singulos cives, constitutio, quâ medicus, civitatis publice constitutus minister, non praxi privatae soli vacans, suis fungatur partibus, arrideat necesse est.

10) Mezgeri gerichtliche Arzneiwissenschaft etc.

Hinc sequitur, artem medicam, commercii civilis ad instar, non posse exerceri. Ast non minus exploratum est, tantum in medicinae studium impendendum esse et temporis et argenti, ut paucissimi homines praeterea et aliam artem perdiscere possint; in ipsâ praxi medicâ tantum esse temporis impendium, tantâ opus esse animi contentione, ut medicus, cujus auxilium permulti efflagitant, adjumentum singulis laturus ex alio quocunque negotio victum petere omnino nequeat. Accedit, quod nemini, institutiones artis medicae ab aliis poscendi competat potestas. Unde colligas, medici opera nisi remuneranda foret, nullos omnino esse posse medicos, ut quibus ciuitas cavere nullo modo possit. Ergo alia invenienda ratio. Medicum non privatam singulorum civium, sed publicum reipublicae ministrum esse oportebit. Tum erga civem quemcunque suis fungitur partibus eo, quod se iis erga omnes functionum solemniter spondisset, omnemque vitam viresque omnes in medicinam exercendam impendat. Re verâ non operae medicando datae pretium ferre, sed quod civili cuiquam negotio,

unde vitam sustentet, renunciaret; sartus tectusque haberi putandus. Tunc fini artis honeste ac liberaliter respondet medici victus.

Quae cum ita sint, medicum non nisi tanquam reipublicae ministrum, civilis honoris compotem existimandum esse liquet. Praxis medica, quoad civile negotium et commercium putetur, iis adnumeranda est ministeriis, quae ab honoribus civi, servitutis cujuscunque immuni competentibus sunt aliena. Romanos igitur suis medicis dignitatem honoremque civilem denegando haud inique egisse patet.

§. 16.

Itaque non suarum rerum negotiator sed reipublicae minister est medicus. At a ceteris tamen reipublicae ministris in eo differt, quod artis suae colendae ipse sit auctor et auspex, ad quam exercendam a republicâ non adigendus, nisi ex pacto a se inito, ita tamen, ut explendarum partium suarum rationi modoque sese immittere reipublicae non liceat. Reipublicae ministros quoscunque alios praecepta circa officiorum obeundorum rationem a ciuitate sibi injunctam sequi oportet. Quin etiam ipsi artifices,

reipublicae ministerio adscripti praecepta et res ipsas a se conficiendas et agendi modum spectantia a republica sibi nonnunquam praescripta exsequi sedulo debent. Contra soli medico licet, quid? quod ipsius est, — in medicinam exercendam suum ipsius sequi arbitrium, suam sententiam. Quam ob rem ministrorum reipublicae singulari ordini accensendus est medicus. Itaque singulare collegium, quod dicunt, constitutere publicos reipublicae medicos sane oportet.

§. 17.

Medicis, reipublicae ministris, collegii modo laudati adsectoribus, (quos a concilii medici sodalibus consiliariorum nomine insigniendis, uti oportet, distinguendos, collegiarios medicos nuncupare licuerit) quae incumbant officia, singula solent esse praescripta atque iuncta: Cujuscunque aegroti, vel casu quodam infesto percussi, eorum auxilium implorantis, eximia cura; cum aliis medicis, de aegris curandis consultatio prompta; medici forensis officia (ubi ipsi incubuerint) diligentissime explenda; Chirurgiae et artis obstetriciae (dummodo caluerint. —) elementorum tironibus tradendorum

studium religiosum; chirurgorum et obstetricum officii pie praestandi subtilis investigatio; neglecti ad concilium medicum delatio; pro decente ac legitima constitutione pharmacopoliorum, quorum curam agunt, sponsio (et tam ampla quidem, ut pharmacopolia a medico, custode, visitata labi cuicunque cum inventa essent obnoxia, medicus socordiae ac perfidiae pharmacopolarum indulgens, communem cum his subeat poenam;) valetudinis civium significatio annua, concilio medico exhibenda, sistens et varii generis aegrotorum, et convalescentium et mortuorum catalogum publicam fide dignum. Quibus morborum in catalogo enumerandorum uti debeant titulis, seu inscriptionibus, solorum quidem medicorum arbitrio relinquendum, id tamen ipsis praeciendum, ut morborum suo nomine nondum appellatorum aegriusque agnoscendorum (id quod in epidemicos quandoque valet) descriptionem subaddant omnibus numeris absolutam, simul methodi medendi adhibitae et effectus eventusque ratione redditae. — Si quis medicus artis veterinariae gnarus fuerit, et morborum animalium, cum eorum vis late

vagatur, mentionem pariter subiungere debebit; historiae naturalis peritus, et res illam spectantes commemoret.

Supra jam monuimus, concilium medicum collegiariis (quos dicere liceat) constitui medicis; unde sequitur, eadem utrisque incumbere officia praestanda. Praeterea illorum est, consessui concilii medici cuicumque adesse, negotiis sibi datis, siue sint commentarii scribendi, siue lustratio certo loco instituenda, siue pharmacopolia visitanda, religiose defungi; in morborum catalogos a medicis cum ipsis communicatos omnem curam cogitationemque conferre, indeque petere, unde ars medica rem suam augeat, commoda adipiscatur respublica; omnium rei medicae ministrorum officia exsequenda adiuuare; si qui refractarii fuerint, ad magistratum deferre ipsorum nomina; in examinandis medicis aliisque, rei medicae qui vacant, fidem seruare atque in neutram partem moueri; denique de omnibus, reipublicae ciuiumque salutem quae spectant, certiolem facere magistratum.

§. 18.

Tales quum esse debeant medici, sartos

tectos, ut ajunt, ab omni incommodo, detrimento, molestia sinceris integrosque conservare eos rempublicam oportet, ut quae, sicut spem fovere ausim, eo inhumanitatis nolit procedere, ut solius humanitatis ergo, — haec negotia suscipere velit medicum. Haud secus, quam par est, medicum de vita, ad quam agendam adigitur, tam operosa, laboriosa ac molestata, de periculo mortis et suae sanitatis discrimine, cui, maxime contagionis morborumque vi late vagante, creberrime se offert; de officio diu noctuque, hora quacunque libuerit adeuntibus, religiose praestando; de vitae iucunditate saepissime posthabenda; denique de pecunia in artis medicae tum addiscendae, tum ulterius promovendae sumtis eroganda, integrum praestare rempublicam salario annuo ipsi constituto. In quo quidem omnino determinando multum est negotii. At tantum tamen sit, quantum vitae sustentandae sufficiat! Si quis unquam praeterea habeat, quod optet, ut salarii aliquam partem cibaria aliaeque res ad victum necessariae constituent, sane medicus est; cui tempestiue et fructuose coemendis iis, quae ad victum per-

tinent, tempus consumere quam minime licet. Physicis, quos dicunt, ut quibus plures gratuito suscipiendi sint labores, subeunda multa pericula, magis amplum salarium annuum deberi, quam ceteris medicis, liquet. Quo cui medico magis minusve praestandum, eo magis minusve amplum ejus salarium esto, et loci, ubi degit ac medici partibus fungitur, et conditionis variae et ordinis ac dignitatis, cui adscriptus est, ratione habitâ.

§. 19.

Reliqua gratis civium animis relinquenda; quandoque etiam ab eorum aut mollitie aut luxurie petenda, deoscentium medici visitantis aditum operamque, quam pro sanitatis curâ, frequentiore. Quamcunque medico ignominiosa fuerit merces, mercenarii speciem referenti soluta, profecto par est, sanitatis vitaeque deliciis redditum, tantum persolvere praemium medico, quanta fuerat medicandi opera, eoque modo vitae delicias cum eo, cui vitae ejusque jucunditatis ulteriorem debet usum, communicare.

Si medico salarium non soluit civitas, ita, ut ars illa diuina infimo isto opificii loco dejecta haerere debeat, neque etiam medici operam curamve suis usibus poscere licet reipublicae, ut, ad instar ceterorum civium, victui quaerendo par esse possit. Respublica tenui salario, adeoque parco victu, praebendo medici officia operamque sibi vindicatura non potest non excidere suo fine.

§. 20.

Quum dignitate civili non gaudeat medicus, nisi qui reipublicae sit minister, liquet, de hoc solo sollicitam esse ejusque solius rationem habere posse rempublicam, neque actionem siue indemnitate (ad satisfactionem impetrandam,) siue neglectiois, siue fraudationis, siue aegroti, medicamentorum abusu, occisi, siue cujusque praeterea generis alius, dumne mere criminalis fuerit,) concedere posse ali; sed magistratûs curam tutelarem despicienti ferendum esse damnum, beneficio actionis subsidiariae destituto. Ne actio quidem siue laesae dignitatis medicae, siue non soluti sosti medico clandest-

tino danda. Quâ quidem ratione ignominiose posthabitis medicastri magis efficitur, quam praxi illis interdictâ. At publicae significatio- nis ac divulgationis ipsorum ignorantiae de- tectae vis fuerit longe maxima, praesertim ciui- bus praemonitis, ne istorum implorent auxilium. Populo enim haud raro (nec temere passim!) persuasum, praxi medicâ istis interdici non ci- vium salutis causâ, sed per quaestûs invidiam medicorum publicorum. At cum, per magistrat- um, licet populo, pecuniâ ab istis defrau- dari, non nisi ignorantia eorum diffamatâ, me- dicos non suo commodo, sed ciuium saluti con- sulere, patet.

§. 21.

Quando igitur medici in republica non es- sent, nisi publicâ auctoritate constituti, stipen- dio annuo fruente; quanta inde redundatura essent tum in rempublicam, tum in medicos, tum in ciues commoda! Tum demum oporteret omnes medicos, artis suae peritissimos (non enim nisi satis peritis tunc locus est!) spectare liberalem eumque communem ingenuorum

finem, civium salutem; liceret deinde omnino reipublicae, ubicunque, siue in castris, siue in nosocomiis, eorum auxilio opus fuerit, impe- rare medicis, ut eorum, qui, siue medici, siue chirurgi, tum in exercitu, tum in nosocomiis constituti esse solent rariores, studia operam- que adjuvare, vel sicubi vacaverint medicis siue cohortes, siue nosodochia, opportune explere eorum locum: ineptos suaeque ipsorum aucto- ritatis medicos praxi medicâ emungere; paupe- riorum ciuium saluti melius consulere. Tunc copiosior, adeoque validior ac potentior, ciui- tas; magis sani omnino ciues; morbi epidemici profligati; endemici stirpitus excisi! — Praete- rea certum est, quàm quod certissimum, fore, ut augeatur auctoritate medicus, dignitate illius conditio. Auri sacrâ fame longe superior, solâ humanitate adductus ciuium saluti soli prospici- ens, non modo infirmitatibus eorum esset me- dicaturus, sed, id quod dignissimum dicas me- dico, praecaturus etiam iisque prouisurus. Quanta speranda foret tanti ambitûs, tam inex- haustae, sublimis omnino scientiae, AEsculapii nomine celebratissimae amplificatio, mira pro-

fecto, si medici in republicâ constituti, pactio-
ne quasi fraternâ initâ, ad unum finem sibi pro-
positum pari nisu pervenire contenderent et,
honesti victûs cultûsque certioribus, in arte suâ
amplificandâ summum finem collocare liceret!

T h e s e s .

I.

Discrimen rheumatismum inter et arthritidem,
saepe dubium esse contendo.

II.

Consensus et antagonismus non e nervorum
connexu solo explicandi sunt.

III.

Non datur stadium fastigii in morbis.

IV.

Placenta praevia per se, nunquam indicatio est
eccelerandi partum.

V.

Non dantur incitamenta negativa.

VI.

Quo magis medicamina ab organismo nostro
differunt. eo majores habent effectus.